

celi dicitur quinta essentia: cum non sit in eo
natura ignis, nec aeris nec terre, &c. Unde
etiam locū superiorem reliquis elementis occu-
pat; quia nec elementum est, nec elementatum.

Reliqua definitionis verba ex causis & affe-
ctionibus cœli, quæ sequuntur, dispolescent.

Efficiens est Deus, qui cœlum secundo re-
rum creatarum die creavit, Gen. 1. Crassus ergo
hic nimis Aristoteles, qui incorporeo Deo corpo-
reum tribuit locum, & ex Dei eternitate cœ-
lum (tamquam sedem ejus) eternum statuit.

Finis in definitione insinuatur; ut sit astro-
rum omnium domicilium, tam fixorum
quàm errantium; sicut aqua piscium est, aer
avium, terra mineralium, &c.

Forma interna est natura quedam ei à
creatore tributa, cujus beneficio cœlum est id
quod est. Non ergo habet formam assistentem
intelligentiam, sicut Peripatetici ad motum
ejus efficiendum putarunt. Nam 1. Nussiam
habet scriptura angelorum usum in movendis
orbibus, sed pro officiis hominum. 2. Motus esset
violens, quia fieret à principio externo 3. Cœ-
lum habet formam internā & informantē atq;
essentialem, causam operationum propria-
rum & effectivā cœli; cum non sit otiosa vel fru-
stra